Cracov. Studios. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1728 mense Martio

16.

Awdyk Michaelis Joa. Nep: Conchylium gemmas Aristotelicis Euripi in praemium V. vv. dd. primae laureae Candidatis — proferens.

CONCHYLIUM
GEMMAS
Aristotelici Eurippi

In Præmium.

V. V.V.D.D. Primæ Laureæ Candidatis
Dum in Alma Vniversitate Cracoviensi.

PER

Illustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,

D.M. STANISLAUM VENCESLAUM PANISIUM,

Philosophiæ Doctorem, Ejusdemq; in Collegio Minori Seniorem Professorem, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ Canonicum, Parochialis in Kromołow CVRATUM.

In Numerosissima Nobilissimorum Hospitum & Senatûs Academici præsentia.

Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei,
Ritu Solenni Crearentur

PROFERENS.

Applausûs Gratulatorij Ergo,
à

MICHAELE IOANNE NEPOMVCENO AWEDYK Crac:
Ejusdem Laureæ Candidatô,
Pöeticô Calamô.

EXPLICATUM.

Anno quem hic Cabalisticon refert.

75331. 53. 8585. 6529. 3985. 354356111. 85622991.

CRACOVIÆ, Typis Hæredum Francisci Cezary, S.R.M. Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodvorscianarum Ordinarii Typographi.



Depingant alij proprios Jconibus actus,
Jcon virtutis NEPOMUCENUS adeſt.
Fulget in eximio probitatis norma JOANNE,
Qui ſtygis & carnis mira trophæa tulit
MVnDVs ConVICtVs Vera probItate PatronI
Jlli conſerri gemmea ſerta jubet.

AD DIVINISSIMUM JOANNEM NEPOMUCENUM Panegyrica & Dedicatoria Prophasis.

LAureati honoris decus, dum placet plenitudini Sanctorum affundere, non aliter id continget meliùs, quàm dum Martyrij Tui Laureolæ, permittes admittere Laurum Academicam, Mystes Sacerrime Martyr Divinissime. *Prima qvidem hæc est & minima, ad Doctoralem non assurgit eminentiam, cæterùm* Tibi *integritatis Virgineæ Viro, Cælesti eruditione Doctori, aqua non sangvine Martyri traducta mihi à Parentibus meis erga Te devotionis propensione, debetur. Si lauros palmasq́ in Tua Bohemia mereris, non respue easdem ferri Tibi à Polonis: cognatæ hæ duæ Gentes olim in has terras à Sclavis effusæ, famæ importatæ, qvam retinent, Te præsentissimum volunt habere Patronum. Longiùs profectò cum nostro Conditore, à Nativo Tuo recessimus Lechiadæ Solo, sed non ab affectu Tuorum & Tui Ipsius cultu devotissimo. Temporum cursu & ita Regnorum disponentibus Fatis, sub Imperium Romanum abijt Bohemia, nos penes primævâ servati libertatem: ubiq́ tamen habes messem laurearum fertilissimam. Demant illi vel ex Romano Capitolio, & tot Triumphatorum frontibus Africanis, Asiaticis, Germanicis, virentes laureas; qvas Tuis substernunt plantis, sed videant etiam in nostris liberis campis non deesse laureta, ut Tuo honori exscindantur. Qvanqvàm tota Tibi in lauream abijsse videtur coronam Bohemia, qvæ juxta Geographorum animadversionem, undiq́ cincta sylvis, serti in Europæo Orbe præsefert figuram; Ita Cæli ordinatione fieri debuit, ut anteqvam nascereris jam ad laureas coronasq́ esses destinatus; post vitâ integerrimâ ac tandem Martyriô ipse in coronam laureamq́ Bohemiæ, Orbiq́ toti evasisti. Diu spes Parentûm Tuorum*

eludens, vix fidem iisdem de adventu Tuo faciebas, nisi Fidelium MATER DEI Genitrix MARIA, sponsionem illis de TE interponeret. Feliciter ad preces Deiparæ fusas, ad manantes Parentûm lacrymas, in lucem effusus, moram gaudiorum lætitiâ, extraordinariæ præsentiæ Tuæ compensâsti. Meritò vixisti ad stuporem, Qui cæpisti vivere per miraculum. Post studiorum Olympia, ad metam statûs Spiritualis ivisti, priùs morum vitæq; integerrimæ Canon, antequàm Pragensis Canonicus. In Spiritu humilitatis & mansvetudinis ambulans, Spiritum discretionis promeritus, Sacræ Confessionis Tribunal ascendisti; in qvo non vulgi solùm Corda, sed & Augusta Tibi patuerunt pectora. VENCESLAI IV. Bohemorum Regis Imperatorisq; Romani pientissima impij viri Conjunx, etiam de illius salute sollicita, qvam neglexit, vitæ suæ actus Sacramentali Pænitentiæ Sigillô obsignandos non alij crebriùs qvàm Tibi deferendo, Te manifesto citra spem & opinionem suam obtulit periculo. Nempe sacrilega curiositas, ut innocentiam nocentem spectaret, Te ad frangendum confessionis Augustæ Sigillum, primò blandiùs, mox acerbiùs, post crudelissimè provocare nitebatur. Ad mollia promissa durus, ad acerbam carceris patientiam fortis, ad ipsam mortem vivax, DEO & TIBI patentem conscientiam, non fecisti hominibus revelatam. Pridèm votô Martyr non ad negandam CHRISTI, sed ad violandam Sacramenti penitentiæ fidem, non à Nerone, Decio, aut Diocletiano infidelibus Tyrannis, sed ab improbæ vitæ non religionis Cæsare, nec eqvuleis crucibûs, ferrô vel ignibûs cruciatus, sed suffocatus aqvis, dissimili ab alijs modô, similem cum alijs Martyrij palmam nactus, Stolam TUAM in Innocui Agni, lavisti sangvine. E Ponte Pragensi in Moldavæ fluvij præcipitatus profundum, qvòd in ibi altum Cæleste inveneris, Candida Tuæ manifestativa innocentiæ Sydera, mediis apparentia Lymphis prodiderunt. Silentium Tuum Sociæ vocis DIVINÆ vox Populi, illicò Cælô dignum probavit, & Te cùm illo Sanctum dixit. Qvalem Te Caput Orbis declaravit, talem adhuc in vita lingua Tua fecit silendo, non loquendo, fastis Te Sanctorum DEI intimando. Hic qvòd alienam famam in terris servaveris, propriam Cælis condendo, etiam per universum Orbem Christianum divulgâsti. Felicis recordationis sub CLEMENTE XI. Anno 1721. 15 Martij cultus Tuus immemorabilis approbatus, mox sub INNOCENTIO XIII. 26 Junij interveniente Cæsarea & Principum instantia, concessa est Sacrarum Tuarum Reliqviarum Sublevatio, de Te officium & Missæ Sacrificium, pro Bohemia & Imperio toto assignatum, qvod ut se ad Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ extenderet, ad instan-

tiam Serenissimi AUGVSTI II. Celsissimorum & Illustrissimorum Archiepiscoporum & Episcoporum *Sacra Sedes Apostolica sub memorato* INNOCENTIO XIII, Anno 1723 *indulsit gratiosè. Favit præmissâ seriâ discussione, quæ Sanctitatis Signis & miraculis Cœlo demissus ab alto* BENEDICTVS XIII. *Pontifex Maximus, &* TE Anno moderno 1728 Martyrem *Pontificiò ore declaravit. Inde est, quòd quæcunq; Austriacæ potentiæ parent Regiones, illæ* Te *non in Templis, arisq; solùm, sed etiam in itinerum tramitibus habent obvium. Tuâ formâ tot marmora, tot lapides, totq; arbores animatæ, super fluminum anfractus, super aqvarum decursus erectæ,* Martyrij Tui *gloriam, servati secreti innocentiam, deprædicant.* Serenissima Austriacorum Domus, *tot Cæsarum à* Rudolpho Hauspurgensi, *usq; ad præsentem* CAROLVM VI. Imperatorem *Regia singularis* Eucharistici DEI Cultrix (*cujus gratiâ, non interruptâ serie, tot seculis in Occidente imperat*) *inter* Divos Penates, Te *gratiosum admittit colit & veneratur* Patronum, *facilè à barbara Ottomani potentia illæsa Tuô adjuta patrociniô. E nostris etiam Poloniæ campis,* Serenissimo LVDOVICO XV. Galliarum & Navarræ Regi Serenissima *petita* Conjunx, *in remotis licèt à Patria regionibus, Poloni tamen erga Te non oblita affectûs candorem Tibi Sociorum sacravit Liliorum, Cultui* Tuo *addictissima Particulâ,* Sacrarum Reliquiarum Tuarum *gaudere volens, ultro eas à* Celsissimo Ferdinando Archiepiscopo Pragensi, Legato Nato S. R. I. Principe *postulavit. Inter Regni illius* Divos Indigetes, S. LVDOVICVM Regem, MARTINVM Thorunensem, REMIGIVM Remensem *peregrina Sacra admittit, dum* TE NEPOMVCENVM *ut particularem Bohemiæ ita universalem infirmantis famæ Regiô cultu, prosequitur* Tutelarem. *Regum coronatrix Cracovia, Inclyta Regni Metropolis, quo honore DIVOS suos Penates* STANISLAVM Martyrem, IOANNEM Cantium, MICHAELEM Gedroicium, STANISLAVM Casimiritanum, ISAIAM Bonerum, SIMONEM Lipnicium, *Confessores colit, eodem &* Te *veneratur. Confraternitas Literatorum Celeberrima, cultum Tuum, dicatis honori* Tuo *altaribus ita promovet, ut etiam in alias principaliores Poloniæ Civitates,* Vilnam, Posnaniam, Leopolim, Varsaviam, *Sancta æmulatione diffundatur. Omni sine delectu amor* Tui *pectora occupavit, ut tam à magnis & infimis, selectioribus & vulgo Imagines Tuæ in cordis formam abeuntes, vel orbicularem retinentes figuram gestentur, conserventur. Famam* Te *cuiusq; inviolatam conservari velle, si communis omnium in naufragio boni nominis, ad* Te *non fieret recursus, satis post tot sec-*

tens Annorum à Martyrio Tuo incorrupta lingua probaret. Quod ob summam eloquentiam & Thaumaturgam contionandi energiam, D. ANTONIVS Patavinus promeruit, ut dum cæterum corpus in cineres abiret, lingva verò ejusdem nondum in eosdem resoluatur, hoc Tu summe necessario, jure Divinô Naturalique & Sacris Canonibus cautô sacræ Confessionis silentiô es assecutus, ut inter alia membra jam mortalitate attrita, sola lingva vigorem, et pene immortalitatem præseferat. Mirabilis DEVS in Vobis Sanctis suis, meritis vestris eadem non in Cælis solùm gloriæ, sed & in terris constituit incorruptæ lingvæ præmia. Ille loqvens, Tu silens, uterque pariter Testem meritorum, præconem virtutum, Sanctæ inter mortales vitæ suæ lingvam reliqvit, incorruptum Oratorem. Hac Te apud DIVINAM Majestatem, multùm valere tot euidentia confirmârunt miracula, ut nō solùm à malignantibus verbis, alienam tuearis innocentiam, sed etiam DEO sic permittente, Tuam ipsius uindices. Nempe si sacra Cinerū Tuorū Busta, non eâ, quâ par est, reuerentiâ ab aliquo honorentur, evidentissimo infamiæ sese ille exponit periculo. Insuper Lauream Tibi dedicāti, & Academicum capescenti honorem, talis mihi IOANNES Diuinissime, labentis famæ Reparator, cum D. Patriarcha Nostro IOANNE Cantio, Sac. Th. & Famæ alienæ Doctore, integerrimo occurrit combinatio. Non multis à Martyrio Tuo elapsis annis ex Pragensi Academia Cracouiam, per VLADISLAVM, IAGELLONEM, euocâti Professores Vniuersitatis nostræ erudita primaque jecerunt fundamenta. Sub ijsdem XV. ab adventu eorumdem Anno, D. Patriarcha Noster, literarum rudimenta, mox altiores scientias, tandem Philosophicas & Theologicas adeptus laureas didicit & docuit, passimque per parietes mensasque scripsit: Diffamare cave. Nempe Tua vita miraculisque post Tuum obitum pro fama aliena conservanda pugnantibus edocti, hocce Divū Patrē erudierunt, ut Professor in Vniversitate Nostra graduatus, famæ etiam alienæ à Te serio, nam & dispendiô Sanctissimæ vitæ, defensæ suscepisset Magisterium. Et tantâ id perfecit diligentiâ, ut ubi vel opinio læsi honoris occurreret, ille ad pedes prolapsus veniam peteret, nec prius ad Mysteria incruenti accessit Sacrificij, donec dimissam sibi licèt leviorem, quinimò Sancta simplicitate usurpatam culpam, adverteret. Iure merito ex manibus Illius Sacerrimis, in manus altarum delapsam, mihique concessam primam in artibus Liberalibus & Philosophia Lauream, Tibi Sanctissime Cælestium Laurearum comprehensor dico, dedico, consecroque. Ago morem Parentûm Meorum erga Te in devotione, Orbis totius Christiani in cultum Tuum sequor propensionem, ac Cantianum Diffamare caue perpendendo in æternæ tesseram gratitudinis ad Aram Tuam primam appēdo Lauream: ut qvidqvid boni nominis ex his Academici Statûs auspicijs & processu ulteriori meruero, id à Tua Benedictione felix, faustumque eveniat, satis Celebri redimitus Laurea si sub Tuum Patrocinium suscepta, ut supplici prece votisque ardentissimis posco, semper,

NOMINI HONORIQVE TUO

Cliens Mancipatus

M.I.N. Awedyk A.L. & P.P.

ÆSTIMATISSIMO
Sceptrorum Academicorum
UNIONI.
D. JOANNI
CANTIO.
Sacræ Theologiæ Doctori & Profeſſori,
Regni Poloniarum & Vniverſitatis Cracovienſis
PATRONO.

Ode Ceuphalonomatica.

cum Lemmate.

Hinc pretium Gemmis.

BOſphorus noſtEr micAT orbe clarVS,
InclytOs ex ſe jAcieNs NitorES,
Cælico mAgnus NiTet Igne caſtVS;
CANTIUS Almus.
INſonAt quævis meLiùs caMænA,
VNIVERSallS TonAt arTE ſvavi
CRACius Pindus, mOVet ac ImmENSI;
Fit ſonus Aſtris.
Sic ovAntes CecRopiÆ ſorores,
Tunc cHElys vOx, dulce meLOs TheGIÆ,
IN tuum ServIt Genus, omNe vocIS;
Plauſus amæni.

Dum fOves aCtum PaTriarcha nOstRum,
ET PRObo aFFEctu tegiS haS cORollas,
ErigIt VerSum pia vota DantEM,
Pectore primo.
Ad tuum Lumen cedit oMne mÆstum,
AC AD Excelsas Lechicæ MInervÆ
DevenIt sedes, VelVt ipSe cæli,
Clarus ocellus.
Protegis plus quAm TRIA lustRa, CHAras
Gracias O Lux vENeranDa mVSas,
ProtegAs eT nos mEmoRande CANTI,
Corda levantes.
Fer coronIs pRæsidiuM serenVS,
PRO Sacris TECTis tibi cORda nostra
PRÆparabuntur, CItò PVnge ViSa
Fata nefanda.
CONSEcRa laVrus pATriO favoRe,
TOTus exposcIt numerVS clientum,
REcrea nostrum GeNIum juvando,
Magne Patrone.
POLlet candOris geNIò camÆna,
SINGVLis à qua vocitARIS horis,
PAlma virtutis ThRONVS es decoris
Sole nitentis.
VALde In te splenDet nota VirtuoSi,
DEFErens in te Nova Signa mORis,
PIcta fElici probiTATIS arte
Moris amussis.
NOn neges aures, pRece, corde, MotAs;
CANdidis nostris cape DOna seRtIS,
SuPplicEm CVm dant Pater alme LaVdeM,
Corda Clientum.
MIRA CVm LOngum tua sint peR æVuM
PennA TRAnsiviT quæ alij lOquantuR,
Consecro tANTùm tibI vile pronVS
Carmine munus.

DE

DIVINISSIMO
JOANNI NEPOMUCENO,
Pragensis Sancti Viti

Ecclesiæ Metropolitanæ
CANONICO.
Sacræ Th: Sacrorumq; Canonum & Decretorum
DOCTORI.
Totum Christianum in Orbem Celeberrimo
MARTYRI.
Bohemiæ, & famâ periclitantium Singularissimo
PATRONO.
Sigilli Sacramentalis Confessionis servatori
INTEGERRIMO.
Sanctitate, Virtutibûs & miraculîs
FLORENTISSIMO.
Lingvâ suâ in quartum sæculum incorruptâ
CORAM Majestate DIVINA
Pro Domo suorum Clientum & Cultorum
DISERTISSIMO.
Syderibûs suã in aquas dejectionẽ manifestantibûs
CLARISSIMO.
In documentum devotæ mentis
Versibûs Centaurinîs
Erigitur & Consecratur,
COLOSSVS.

Adonius.	Surgat in altum
Pherecracius.	Sacratus Tibi Martyr,
Gliconicus.	Et sub sydera proferat
Archilochius.	Gemmeus iste Colossus
Pindaricus.	Emeritos probitatis actus.
Alcmanicus.	Præceps in fluvium prolaberis,
Anapæ: Dimet:	Hic verùm casus bonus extitit,
Phaleucius.	Quo surgis nimiũ Beatus Astris
Alcaicus.	Imò cadentûm sorte nefariâ
Asclepiadeus.	Famæ semper ades o celebris Pater!
Sapphicus.	Corde sincero sua vota præbent,
Scazon.	Quos audis & juvas favore clementi
Iambicus.	Sonora voce prædicant quòd Inclyt⁹
Pentameter.	Tutor in adversis atq; colossus ades.
Spondaicus.	Exiguos versus canto plectrô devotô
Hexamet:	Factis responsura Tuis Echo sonet orbi.

Programma
Beatus JOANNES
NEPOMUCENUS
Martyr.

Anagramma
Annue Tu Cæptorum basis anomineris.

CARMEN
Per Echonem
RESONANS.

Cum Lemmate.

Hinc Gemmarum pretium sonat.

DEscendas altis resîdens in montibus Echo,
 Laude NEPOMUCENUM conveniente refer.
Iste Patrum provecto magnum munus Olympi,
 Constitit in mundi, proscenio *Senio*
Acunis subito IOANNES Maximus, *Jmus*
 In sensu proprio, quid nisi fumus; *humus*
An prius admotus sit Sedi Cæsaris! *aris*
 Prælatus Pragæ num enituit? *nituit*
Quæ proprij monstravit dogmata moris! *amoris*
 Quò gaudet fessus dumq; laborat? *orat*
Quid profert dum illi Rex dicit aveto! *caveto*
 Sermonem quem Rex pectore prodit, *Odit*
Talibûs haud dictis IOANNEM frangit. *at angit*
 Quid pro IOANNE est ille balatro? *latro*
An Rex affatur IOANNEM voce *feroce*
 Quid facit ut scelus triste piaret. *aret*
Qualis tunc fuerant terricula mentis *amentis*
 Fronte homo sed sævo corde chymera *mera*
Iam video Regem nunc flammiferumq; *ferumq;*
 An myttam pænîs conquatiet, *quatiet.*

Quid facit huic Sancto Rex quando perfurit *urit*
Hæ cædes Sanctum num exanimant. *animant.*
Quæro IOANNES? quòd si feres plura aspera, *spera*
An te tortores expaveant. *aveant.*
His in tormentis fuerit ne inamænus? *amænus*
His aderat præsens Cæsar aphrodita, *ita*
Mors illi crudelis ocellos claudet, *& audet.*
Pro nihilove facit verbera sputa. *puta*
In flumen Sanctum Rex mandat mergere, *verè.*
Fluctibus ex istis Sydera clara petet.
Quid resonas Echo, præconia magna IOANNIS,
Dum major cunctis, iste Patronus adest.
Nos Tibi duntaxat, laurus Patrone dicamus,
Sternimus ad plantas præmia nostra Tuas,
Hæc Tu sub proprio velis retinere favore,
Et florere diu, magne Patrone sinas.
Famæ & Patronus nostri nova fama decoris,
Protector maneas, fama perennis erit,
Sceptrigeræq; Cruci, tum Craci turribus almis,
O Patrone Sacer! gemmea sæcla feras.

ILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,

D.D. EXAMINATORIBUS.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. STANISLAO FILIPOWITZ,

Philosophiæ Doctori, Ejusdemq; Tratnoviano, & Matheseos Professori, Geometræ Strzałkoviano, & jurato, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ SCHOLASTICO, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D.M. GREGORIO FILIPOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Ejusdemq; Regio & Lingvarum Exoticarum Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONO, Parochialis in Pobiedr CVRATO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D.M. STANISLAO VENCESLAO PANISIO,

Philosophiæ Doctori, Ejusdemq; in Collegio Minori Seniori Professori, Ecclesiarum Collgiatæ S. ANNÆ CANONICO, Parochialis in Kromołow CVRATO.

In vim debitæ propensionis

Ode Votiva Dicatur.

Cum Lemmate.

Ditamur vestra distribuente manu.

CLaros eximijs ingenijs viros
Tangentesq; Polum mentibûs optimis,
Ut strepens celebret fama per æthera,
Sensus justitiæ jubet.

En

En Mavors Socijs bellipotens suis
Pro pugnis vegeta tabe madentibus,
Pro factis meritis sveta stipendia
Larga distribuit manu.
Neptunus Pelagi fluctibus imperans
Naucleros propriæ Thetyos ambitus
Tranantes pretijs aggravat optimis,
Præstans dona laboribûs.
Illos tuba sonans & reboantia,
Commendant varijs classica sæculis,
Istorum memori tempore vivida,
Fertur gloria fluctibûs.
Nonnè Delius est, Marte Superior,
An non inferior, Pallade Nereus,
Et cur emeritis Palladis, assеclis,
Desint præmia gloriæ.
Factis note Tuis inclyte ternio,
Quàmvis Te celebrat publica gloria,
Sumas hanc etiam, quam folium refert.
Laudem corde Tibi datam.
Tu: qui es præcipuis maxima mentibûs,
Lux, insigne Togæ purpureæ decus,
Laudis prima meæ, materies ades
Cunctis laudibûs altior.
Subtili propria mente beatior,
Naturâ facili, perficis omnia,
Tangis mente Polum, sydereas Domos
Flectens ingeniô Tuô.
In vultu renitet, viva modestia,
In lingva residet Tullius eloquens,
In Divos pietas, mira peritia
Sedi pectoris immanet.

Te

Te tantô ordo sophûm Principe faustior,
Mente Aristotelem, qui superas Tuâ,
Et collecta tenes dogmata gloriæ
Solus faustior omnibûs.
Tandem Gemma sophûm, tùmq; Academicæ,
Magnum sceptrigeræ clenodiùm Crucis,
Alter mente Plato laudibus obvenit
Præclarus FILIPOWSCIUS.
Hic in præcelebri luco Academico,
Collatis sibimet sæpe laboribus,
Palmæ consimilis crescit amabilis,
Tendens dexter in ardua.
Illius placidâ fronte clientibus,
Et gratô veniunt pectore gratiæ,
Et nutrita manet Pegmate syderis,
Faustis mens penetralibus.
Prodit PANISIUS tertius Arbiter,
Nostrûm qui meruit laudibus optimîs,
Ferri tumq; coli, sed calamum meum,
Factîs exsuperat suîs.
Gentis Palladiæ laus honor & decus,
Hic in quo probitas, & Sapientia,
Conjunctæ resident, milleq; gratiæ,
Pandens frontis amænitas.
Fert ut nectareus verba Demosthenes,
Parnassum retinens, ingeniô suô,
In quo dum remanet Pieridum novem,
Cætus fit Sapientior.
Professor Senior, tàm Domûs inclytæ
Non vano titulo promeruit coli,
Quem fert fama Sonans, ex Cathedris Sacris,
Tantum penna tacet virum.

C O vos

O vos clara Poli! Sydera Cracij,
Umbram hanc exiguæ sumite gloriæ,
Gemmas eximij quas datis Arbitri,
Has nos appretiabimur:
Nos votum ferimus, pectore candidô,
Ut vobis tribuat, tempus amænius,
Omni tristitiâ sæcla carentia
Portans gaudia plurima.
Titan Purpureus Cynthia quam diu,
Volvet terrigenis nocticulam facem,
Iam diu incolumes ac in honoribus
Altis, vivite positi.

CONCHYLIUM GEMMAS,
Aristotelici Euripi.
In Præmium.
V. V.D. Primæ Laureæ Candidatis
P R O F E R E N S.
II. V.D. PAVLO IOANNI
K V T L I N O W S K I,
Gemma Saphyrus.
Cum Lemmate.
Cælesti fulgurat ore. *Carducius.*

JOANNES — JOANNES

Inclyte laurigeri, Præses Doctißime Pindi
Ostendas artem, laudes præconia dando
Aurea plectra tenens, ex Musis prima Camæna
Nectas plectra Tuis, chordis, & flectito Numen
Nervoso PAVLI celebretur carmine Nomen
En adstat Roseô dignus KVTLINOVIVS ore
Sublimis propriæ, qui monstrat acumina mentis

Lu-

Luxit Palladiô fortis certamine puggi**L**
Ac demonstravit, lauru sua tempora dign**A**
Unde hilari gemmam Saphyrum sumito vult**U**
Redditæ ei pretium Tua per conamina confe**R**
Ejus laus hæc est; Cælesti fulgurat or**E**
Ast & KVTLINIVS fundendo sonantia verb**A**
Tanti possessor, tituli virtute refulge**T**
Visa est quoq; Tuæ, renitens Sapientia vult**U**
Sume Tibi similem, gemmam felixq; nitesca**S**

III. V.D. PAVLO IOANNI CANTIO Ł V S I E C K I.

Gemma Cleopatræ totius Ægypti pretio æquivalens,

Cum Lemmate.

Et decus & pretium. *Statius.*

Faustos sudores, felices spero labores,
In quos si quis eat, se puto sorte beat,
Hos jam non Nervæ, sed doctæ crede Minervæ,
Huic qui corda dicant, laudis honore micant.
Felices mentes, intra aurea sceptra latentes,
Quem huc fortuna movet, Pallas amica fovet.
Mars præsit castris, sapiens dominabitur Astris,
Et quod fatâ terent, Astra benigna ferent.
Posteritas memorat, quos tantùm Pallas honorat,
Clarus laude sonus, ferre laboris onus.
Gemmis sudorem, sertis pensando laborem,
Sæcula dona canent, quòd pretiosa manent.
Gemmiferæ palmæ sunt munera Palladis Almæ,
Ex quibus ecce Tibi, sat pretiosa sibi.
Gemma Cleopatræ, (quam à grata suscipe Matre)
Fertur cur quæris? nam bona facta geris.
Præsentas mores doctos subeundo labores,
Et decus & pretium, spectat ad ingenium.
Vir geniô grandis, virtutum dogmata pandis,
Hoc omen de Te, culmina celsa pete.

IV. V.D. IOSEPHO IOANNI CANTIO IEDRZEYKIEWICZ.

Gemma Liparea.

Cum Lemmate.

Vel totum attrahet Orbem. *Bercorus.*

MAgnos triumphos Martis in area,
Iam non celebret belliger Annibal,
Iam non superbiat Bellona,
Nec proprîjs tumeat triumphîs.
Tales triumphi sunt & Apollini,
Quêis sat refulget turba studentium,
Victorias imo celebres,
Orbe tenet sapiens Minerva.
Athleta sistit Palladis inclytæ,
Qui docta faustè prælia sustinet,
Felix probat certamen esse,
Gemmea quód sequitur corona,
Gemmam laborans Lipaream refert,
Virtute cujus monstra animalia,
Mitescunt mirè & attrahuntur,
Per radios recreata claros.
Fulgens IOSEPHVS dotibûs optimîs,
Et mente splendens præcelebri suâ,
Iam victor orbitam trophæîs,
Palladiam recreavit almîs.
Notum quid actis posßit hæc indoles,
Contraxit in se, laudem Academicam,
Per sæcla dignus sit, perennis,
Fulgeat æthereîs Colurîs.
Nullo laboris pondere nauseat,
Qui ut palma semper, tendit in ardua,
Acres oppressa per labores,
Pulchrior illa viget vigore.
Ergo virescens crescat amabilis,
Fæcundet illum sydereus liquor,
Serenet æther, post repostus,
In solijs renitescat altis.

V.

V. V.D. NICOLAO ANTONIO
WILIMSKI,
Gemma Enydrios.
Cum Lemmate,
Sinè damno fæcunda. *Carducius.*

S*istit laudandus clarus facinoribûs almî*S,
Cu*I*V*s præcelebris, meruit præconia* V*irtu,*
*Fam*A *tuîs pedibûs celer & pernicibûs* A*lî s,*
*Huc scandas ve*L*ox, veniens de col*L*ibus altis,*
*Præclarū geni*O, NICOLAI *c*O*ncine Nomē,*
*Enydros gemmā,*C*um lauru* C*onfer ovando,*
*Dignus enim tant*I, *d o n*I WILIMSCIVS *extat,*
*Et jam Fama tulit, do*N*um quô docta Minerva,*
Susceptos pensat, T*I bi* V*I r memorande labores,*
*Hanc gemmam s*C*i t o,* C*laró sudore madentē,*
*Jlli quo pr*O*prium, pretium n*O*n vile tenetur,*
Tu quod; pro L*a u r u d o c t a,* L*aborādo refūdis,*
*Sudoris gutt*A*s, dotum retinendo v*A*lorem,*
*M*V*nere cum tanto, libet hoc conjungere* V*otū,*
S*ublimi titulô, gaude per Sæcla superste*S.

D

I. V.

I. V.D. MICHAELI JOANNI NEPOMUCENO AWEDYK,

Primæ Laureæ Candidato.

Authori Operis.

In vim mutuî affectûs, & gratulatorij plausûs.

V. PAVLVS IOANNES KVTLINOWSKI,
Offert, Gemmam Pyrrhi Parnaſsô, Apolline, & Musîs Celebrem,

Cum Lemmate.

Honori invicem.

Programma.
Venerabilis Dominus MICHAEL IOANNES NEPOMVCENVS Laureatus.

Anagramma.
En in munus, vive hac è mente in Parnaſſo Celſior vola ad ſublime.

PRæſtas *en* nobis, *in* culto carmine *munus*,
Pectore ſinceró gemmea vota refers.
Vivamus ſpondes, etiam Tu *vive* viciſsìm,
Præcelsîs titulîs, hìc & ubiq; nitens.
Hac è mente Tua, *in Parnaſſo celſior* alto,
Quem ſanè totum, claudis & arte Tua.
Ergo *vola* greſſu, properô *ad ſublime* Colendus,
Sæcla Polycrates, tranſige longa precor.

Ei-

Eidem V.D. Authori Operis.

V. PAVLVS IOANNES CANTIVS
Ł V S I E C K I.

Ejuſdem Laureæ Candidatus,
Applaudit.

PIndus ſi taceat, volitans ſi Fama taceret
Laurigeri Vates deſint, ipſæq; Camænæ,
Si plectrîs proprîjs nollent contingere chordas,
Ipſe Tui de Te, ſemper laus magna maneres
AWEDYK, de quo probitas animuſq; Genuſq;
Concinni mores, Encomia digna repandunt.
Hac in Metropoli, digno de Conſule natus,
Qui magnum Cracij, Decus eſt, & Fama Senatûs,
Cor populi, Cōſusq; merus, re & Nomine Conſul,
Emeriti felix, dulciſq; Propago Parentis,
Exſtas Dux noſter, Generi Tua munera Claro,
Aſſocians animi, probitatis dote beatus,
Eximij mores, partim conſtantia prudens,
Te decorat partim, ſvavis facundia lingvæ,
Hortensûm roſeum, Te verè comprobat eſſe,
NEPOMVCENI, ſplendent Altaria DIVI,
Laus ingensq; viget, quam docto carmine ſcribis,
Illa Parens præbet, Tu proles cara Parentis,
Quæ Cælo ſuperiſq; placent, Aſtriſq; probantur,
Mente pia DIVO, teſtaris candida vota.



Sub Felicissimo Regimine,

Magnifici Perillustris, & Reverendissimi Domini

D. M. JOANNIS LUKINI,

UTriusq; Iuris DOCTORIS & Professoris, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatarum Vislicensis, & Sanctorum Omnium Crac: Primicerij, Slawkoviensis Praepositi, Contuberniorum Iurisperitorum, & Regio-Iagelloniani Provisoris, Studij Almae Vniversitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.